PRO PRIMA DIE.

APRILIS 9.

21

1. OPortet Philoſopho Catholico unicam eligere philoſophandi Sectam.
2. Ariſtotelica Schola, ut traditur, cæteris preponenda eſt.
3. Philoſophia, legitime tractata, prodeſt veræ Theologiæ.
4. Secta Ecletica in rerum veritate indaganda non eſt cæteris præferenda.
5. Zenon Eleates primus occupatus fuit in colligendis præceptis Dialecticis.
6. Bene arguitur à ſubſtantia rei ad ipſam rem, & bene infertur de toto ad partes; de productione rei ad ipſam rem; à rei uſu; ab oppoſitis; à majori ad minus, & è converſo; à ſimili, & proportione; à cauſa ad effectum, & deniqne ab authoritate.
7. In rebus naturalibus Sacra Authoritas præcipuum obtinet locum.
8. Critica eſt Ars, qua fit judicium inter verum, & falſum.
9. Dialectici ſine Critica potius ſophiſtæ, quam Philoſophi dicendi ſunt.
10. Nulla facultas ita eſt Criticæ exotica, ut ab illa non accipiat perfectionem.
11. Prima Criticæ regula: Neſas eſt à veterum teſtimonio recedere præterquam firmis urgentibus rationibus
12. Secunda: Standum eſt teſtimonio referentis, ſi fuit præſens, ſi non eſt partialis, ſi fabulis non utitur,

ſi

si non est alius coævus contraria afirmans.

13. Tertia regula: argumentum negativum unice ex silentio desumptum non sufficit.

14. Quarta regula: argumentum ex conjecturis, similitudinibus, titulis, & inscriptionibus, sicut ex diversitate loquendi nullius est roboris.

15. Accuratæ Criticæ regulis contrarium est, veras Authorum Sententias disimulare.

16. Minus accuratum institutum est, eadem priscorum Scriptorum verba aliquando probare, deinceps improbare.

17. Adhibenti regulas Criticas Tillemontij facile erit, Historijs perspicue falsis, aut fabulis veritatis imaginem, & aliquam probabilitatis speciem adjungere.

18. Si non nullas Criticæ Dupini regulas adhibeas fieri fortasse poterit, ut elegantiora Antiquitatis monumenta in suspicionem adducas.

19. Launojus, Thierius, Bailletus, & Simonius male Critica utuntur in rebus, quæ religionem non pertinent.

20. Usus Criticæ debet ita esse; ut in rebus æque dubijs præponenda sit credulitas reverentialis incredulitati pertinaci; quod termini sint modesti; quod Criticus sit impartialis, & quod dum res dicitur ab aliquibus, & ab alijs coætaneis taceatur pro dicentibus standum est.

21. Aliqua pura, & sincera veritas haberi potest in hac vita absque speciali Dei revelatione.

22. Philosophus Catholicus non potest impune defendere assertum ilud, cui authoritas infallibilis adversatur.

23. Cartesiana generalis dubitatio n onconfert veritati assequendæ.

24.

24. Idea clara, & distincta Cartesianorum non est aptum dijudicandæ veritatis criterium.
25. Epicurei, & Gasendistæ non rectè explicant criterium veritatis.
26. Quælibet veritas labore adquisibilis, est per definitionem, divisionem, & argumentationem.
27. Divisio Pythagorica prædicamentorum est incongrua.
28. Petrus Ramus incidit in Doctrinam Aristotelis, dum prædicamenta distincta vult statuere.
29. Divisio prædicamentorum in septem categorias non est probabilis.
30. Prædicamenta recte dividuntur in decem classes, quas asignat Aristoteles.
31. Nil aliud esse in Logica utiliter disputabile præter dictum, tuemur.

Pro his manè, & Vesperè, ad uniuscujusque libitum tuendis jaculis argumentorum impavidus occurret D. LAURENTIUS CABENAGO ET MENDOZA.

PRO SECUNDA DIE
APRILIS 10

1. PHysica est scientia agens de substantia finita naturali sub ratione talis.
2. Essentia corporis consistit in extensione ejusdem in ordine ad se, quæ extensio dicat pluralitatem partium.
3. Constitutionem continui nullus Philosophorum hucusque explicavit.
4. Ex generalibus Concilijs Constantiensi, & Tridentino ita inferuntur accidentia in sensu Peripatetico, ut definitiones illorum cum Recentiorum placitis non recte cohæreant.
5. Naturali ratione demonstrari non potest, repugnare accidentia in sensu Peripatetico.
6. Ex Sacra authoritate rectè colligitur duo corpora posse divinitus penetrari, replicarique.
7. Locus est superficies prima, & immobilis corporis continentis.
8. Nullum de facto admittimus vacuum, nec coacervatum, nec dissem natum.
9. Posibile est vacuum per Divinam potentiam.
10. Substantia est ens per se; à Sanctisque Patribus aliquando accipitur pro subsistentia.
11. Accidens est, quod advenit rei in actu completo.
12. Mundus adspectabilis est universitas rerum sensibilium.
13. Mundus non fuit ab æterno: sed in tempore Deus illum condidit.
14. Extensio Mundi est 5400. leucarum Germaniæ,

niæ ; 6300. Hiſpaniæ, vel 7200. Galliæ.

15. Cauſa Phyſica ut ſic: eſt principium per ſe influens eſſe in aliud, quod poteſt non exiſtere.

16. Recte dividitur in materialem, formalem, efficientem, & finalem.

17. Naturales res non ſunt cauſæ mere ocaſionales, ſed vera virtute activa pollent.

18. Syſthema Carteſianum involvit contradictionem, & plura dicit inveroſimilia.

19. Syſtema Athomiſticum admittendum non eſt.

20. Chimicorum Syſthema, nec primario, nec ſecundario poteſt corpora naturalia conſtituere.

21. Leibnitz dum de conſtitutione corporis agit, in plures incidit errores.

22. Neutonianum Syſthema Phyſicæ rerum conſtitutioni non congruit.

23. Vvolfij Syſthema rejici debet, quia cum Athomiſtico convenit.

24. Syſthema Ariſtotelicum corporum conſtitutioni præferendum eſt.

25. Doctrinam hujus Syſthematis non eſſe Arabum figmentum, ſed Ariſtotelis ſententiam tuemur.

26. Cœli ſunt tres, Empyreum, Firmamentum, & Planetare.

27. Cœli inferiores ſunt fluidi.

28. Corpora Cœleſtia in ſublunaribus influunt per lucem, calorem, & ſiccitatem.

29. Virtute Aſtrologiæ conjici nullatenus poſſunt effectus liberi; ex naturalibus tantum leviter, qui attinent ad Nauticam, Medicinam, & Agriculturam.

30. Fanaticum eſt aſſentire divinationi factæ ex varietate Aſteriſmorum, quaſi eſſent Cœlo inſcripti

effectus tam liberi, quam naturales.

31. Systhema Ptolemaicum, nec Physicæ, nec Mathematicæ congruit.

32. Systhema Tychonicum, est cæteris probabilius.

33. Sacra authoritate inspecta necesse est rejicere Copernicanum Systhema.

34. Absque hypotesi Copernicana Phœnomena Cœlestia, & Terrestria explicantur.

35. Elementa vulgaria sunt quatuor, non tamen potest hoc evidenter probari.

36. Elementum debet esse corpus simplex, non tamen simplicitate dicente carentiam materiæ, & formæ.

37. Elementa vulgaria nec simul, nec divisim sunt prima corporum principia.

38. Ignis est Elementum cujus natura exigit pingue, oleosum, & crassum alimentum, figuram piramidatam, qua disponatur ad operandum intestinum motum suarum partium, quo objecta corpora dissolvat, siccitatem demum, & potissime caliditatem.

39. Aer est Elementum grave, elasticum, capax compressionis, & dilatationis, raritatis, & densitatis, summe mobile, ac fluidum cujus particulæ spirali gaudent figura, & non nihil adhæsionis habent inter se, & cum alijs corporibus.

40. Aqua est Elementum cujus natura est exigitiva summæ frigiditatis, nec non & humiditatis citra excellentiam, illius partes figuram habent oblongam & asperitatibus donatæ sunt; atque invicem sibimet adhærescunt, sic tamen ut nulla vi comprimi possint, nec elasticam habeant virtutem.

41. Terra est Elementum frigidum, siccum, partibus constans solidis, & fixis.

42. Mechanismum Elementorum plurimum confert, ut illorum phœnomena recte explicentur.

43. Ex quolibet Elemento valet aliud quodlibet immediate generari.

44. Posſibilis eſt vera converſio unius ſubſtantiæ, in aliam.

45. Motus eſt actus entis in potentia, prout in potentia.

46. Cauſa continuati motus projectorum eſt vis impreſſa projectis, ipſis à movente communicata.

47. Tempus eſt menſura motus, & quietis, ſecundum prius, & poſterius.

48. Diplomatica, quæ eſt facultas tabellarum temporum eſt utilis non ſolum Philoſophis, verum & Theologis.

49. Præcipuæ temporum Epochæ, ſunt Hebraica, Græca, & Samaritanorum.

50. Hebraica eſt præferenda.

51. Hiſpani uſi fuerunt Æra Ceſaris cæpta 38. anno ante adventum Chriſti.

52. Æra Chriſtiana cæpit uti apud Hiſpanos Celtiberos anno 1351. apud Caſtellam 1383. apud Luſitanos anno 1420.

53. Dies naturalis eſt ille, qui complectitur ab uno ortu, ad alium.

54. Quando inceperit partitio Dei in horas non poteſt reſolvi, quin fabellis irretiemur.

55. Dies creationis ſunt Dies verè naturales.

56. Hebdomada vulgariter eſt ſeptem dierum ſpatio ejus uſus cæpit apud Hebreos, qui 3. Hebdomadas computabant; dierum, ſeptimanarum, & annorum.

57. Annus eſt temporis ad idem punctum revolutio. Dividitur in Solarem, Lunarem, & Artificialem.

58. Hebrei fuerunt primi computatores annorum.

59. Mathematica est Scientia plurimum juvans ad phænomena naturalia enucleanda.

60. Dividitur in Geometriam, Aritmethicam, Algebram, Trigonometriam, Logarithmicam, Mechanicam, Staticam, à qua pendent Balistica, & Tormentaria, Hydrostaticam, Arquitecturam Civilem, Arquitecturam Militarem, Opticam, Dioptricam, Perspectivam, Anaclasticam, Catoptricam, Astronomiam, Gnomonicam, Chronografiam, & Geografiam. Omnes vere esse Mathematicas Artes tuemur.

61. Principia universalia Geografiæ si pro opportunitate arguentium opus fuerit tradentur; Globusque Terraqueus dividetur, in Zonas, Climata, & Regiones; explicabuntur termini principaliores, quibus utuntur Geografi ad explanationem Globi.

Pro his defendendis thesibus juxta arguentium placitum in Arenam descendent F. JOANNES GONZALEZ, *&* F. JOANNES CARDENAS.

PRO

PRO TERTIA DIE,

APRILIS

1. LUna in Eclipsi privatur luce ; Sol vero in Eclipsi non patitur lucis detrimentum.
2. Eclipsis est occultatio Solis facta per interpositionem diametralem Lunæ inter ipsum, & Tellurem.
3. Eclipsis Lunæ est privatio luminis in Luna ob interpositionem diametralem Telluris inter ipsam, & Solem.
4. Admitti debent Cometas Cœlestes, qui sunt corpora Mundo congenita.
5. Non est admitendus Ignis sub concavo Lunæ.
6. Fulmen ex sulphureis, nitrosis, alijsque terrestribus exhalationibus generatur; similiter & fulgur, nisi quod isti usus materia rarior est.
7. Tonitru sonus est non ex nubis, sed exaeris fractione proveniens.
8. Ignes fatui sunt halitus pingues, & tenaces instar lampiridum lucentes.
9. Stellæ decurrentes, capræ saltantes, trabs, Draco volans, & columna originantur ex sulphureis halitibus simul cum nitrosis spiritibus, terreisque particulis collectis.
10. Valde probabile est materiam Auroræ Borealis in quodam certo telluris halitu consistere.
11. Auroræ Borealis illuminatio non ab ignitione, sed à refractione, & reflectione Solis fit.
12. Falluntur trepidantes ad adspectum Auroræ Borealis, quasi ex illa aliquod fatale venturum.

13.

13. Iris, seu Arcus ille, qui varijs coloribus imbutus in Aere apparet, ex repercusione radiorum Solarium in Nube rorida pingitur.

14. Halon, seu corona fit in vapore non jam resoluto, sed æqualiter per totum fuso, & semidiaphano, qui inter Solem, vel Lunam, & nos interponitur.

15. Parhelius, seu Sol spurius non sola reflexione, sed etiam refractione formatur. Idem dicendum de Paraselene.

16. Ventorum origo partim à siccis exhalationibus, partim à Sole, & Luna repetenda est.

17. Nubes esse vapores aqueos vario filaminum plexu contextos, defendimus.

18. Pluvia, ros, & aura serotina Nubium est resolutio.

19. Nix, Pruina, & Grando sunt aquei vapores concreti, differunt tamen inter se accidentaliter.

20. Congelatio, & Glacies non habentur vi rarefactionis proprio sensu acceptæ, nec sola frigiditas ad id sufficit, sed siccitas, quæ potissime oritur ex particulis nitrosis, requiritur.

21. Montium origo non solis terremotibus, turbinibus, aut aquis est adscribenda, sed illos ante diluvij tempora Deus condidit.

22. In visceribus Terræ ignes reperiuntur.

23. Terræmotuum præcipua causa est ignis subterraneus.

24. Ventus, & Aqua dum in Terra includuntur possunt Terræmotum cum igne causare.

25. Metalla sunt corpora dura, liquabilia, & ductilia.

26. Lapides ex humido terræ permixto generantur.

27. Gemmæ ex succo dæfecatiore, & operatius præparato coalescunt.

28. Criſtallus non fit ex glacie.

29. Nullus Philoſophorum ſatis hucuſque explanavit virtutem Electricam.

30. Magnetiſmum eſt arcanum naturæ uſque modo ignotum.

31. Fontium, & Fluminum origo potiſsimum à mari provenit.

32. Cauſa Æſtus marini non eſt ſatis explorata.

33. Maris ſalſedo provenit à Salinis particulis, quæ illi immiſcentur.

34. Amarulentia maris à bituminibus oritur.

Pro harum propoſitionum deffenſione juxta voluntatem impugnantium, ſcutum aſſumet Minervæ

D. CAROLUS SERRANO & MONTERO DE ESPINOSA.

PRO QUARTA DIE APRILIS

1. Paradisus terrestris est visibilis, & corporeus.
2. Non existit in concavo Lunæ, nec extenditur per totum orbem, sed probabilius in confinibus Mesopotamiæ, & Arabiæ.
3. Fluminibus alluitur, Arboribus non solum frugiferis, sed infructuosis adornatur.
4. Non adest aliqua ratio vere critica pro assignanda specie Arboris vitæ.
5. Virtus hujus Arboris ad roborandam vitam fuit naturalis.
6. Terrestris Paradisus manet quoad situm, non vero quoad culturam, & amænitatem.
7. Generis humani propagatio statu innocentiæ perseverante eodem modo, ac nunc sublata tamen fœditate, perficeretur.
8. Corpus Adami formatum fuit ex materia Elementari.
9. Vita Physica in actu primo consistit in principio productivo immanenter perfectionis indebitæ pro instanti generationis.
10. Conceptus vitæ intentionalis in actu primo in vi percipiendi objecta consistit.
11. Tria sunt viventium genera vegetativum scilicet, sensitivum, & rationale.
12. Anima rationalis est vera forma informans corpus, nec tantum illi assistere.
13. Anima rationalis non in Cerebro, & Glandula

dula Pineali existit, sed totum corpus immediate informat.

14. Commercium Animæ, & corporis bene explicatur tantum per præsentiam realem ipsius Animæ cum Corpore, & realem influxum Animæ in corpus.

15. Systhema harmoniæ præstabilitæ non potest absque piaculo defendi à Philosopho Catholico.

16. Occasionalistarum Systhema lædit humanam libertatem.

17. Corpus aggravat animam non quatenus corpus, sed quatenus corruptibile, ut factum fuit per peccatum.

18. Corpus per repressionem passionum, & castigationem sensuum in servitutem animæ redigitur.

19. Lex, de qua conquærebatur Divus Paulus, erat concupiscentia carnis.

20. Mens nostra quandiu in vita mortali sumus, ita à sensibus pendet, ut non nisi sensibilia, & prout sensibilia naturaliter cognoscere possit.

21. Humana mens Corpori unita non est semper actu cogitans.

22. Angeli tam boni, quam mali possunt immutare hominis sensus.

23. Immutatis hominis sensibus, intellectus ejus necessario intelligit quidquid ipsi objicitur, & sub ratione, qua ipsi objicitur.

24. Intellectus humanus, dum percipit objectum sic ab Angelo propositum, non potest discernere an verum, fictitiumve sit.

25. Angelus viribus naturæ potest hominem in Aerem elevare, & illum quoquoversus adsportare.

26. Angelus non potest vere hominem in Equum, Leonem, aliasve res similes transmutare; sed apparenter.

27. Vi, & arte humana non possunt deprehendi, & exterminari hujusmodi transformationes.

28. Virtute naturali jecoris piscis Dœmon non fuit expulsus à filia Raguelis.

29. Applicando causas naturales nocivas potest Dœmon causare in corpore humano dolores, & infirmitates, necnon & per violentiam.

30. Quid intra vires naturales claudatur, ex triplici capite cognosci potest. Primo ex parte rei factæ; secundo ex parte actionis; tertio ex parte modi.

31. Memoria dum est in corpore, rectè per mechanismum fibrarum cerebri non explicatur.

32. Amentia ex alteratione organorum provenit.

33. Organum præcipuum visionis non est humor Crystallinus, nec conjunctio nervorum opticorum, nec fundum Choroidis, sed tantum Retina.

34. Organum auditus est membrana ad vestibulum labyrinthi expansa, simulque cum zonis tribus, quæ canales semicirculares vestiunt, atque zona cochleæ.

35. Organum olfactus est tenuis membrana interiores anfractus narium vestiens: hoc autem munus illi membranæ convenire, non quidem secundum se, sed secundum tenuissimus fibrillas nerveas, quæ sub illa consistunt.

36. Organum gustus sunt papillæ nerveæ linguæ, & quæcumque alia pars oris papillosa.

37. Organum tactus non est ipsa caro, sed solæ nerveæ papillæ.

38. Sensatio perficitur in sensibus externis, quatenus in illis sit vera objecti perceptio.

39. Ad explicandos sensus hominis externos valde utile est mechanismum.

40. Omnes hominis afectiones exactè explicare per mechanicas regulas est prorsus ignotum.

41. Bruta non ſunt mera authomata.
42. Anima Brutorum non conſiſtit in flammula quadam.
43. Bruta Animam rationalem non habent.
44. Brutorum Anima nullatenus ſpiritualis eſt.
45. Belluarum anima eſt forma abſoluta ſubſtantialis, quæ materialis eſt, rerum materialium cognoſcitiva.
46. Brutorum animæ non ſunt ſpiritus mali inibi incarcerati.
47. Omnes quæſtiones hoc quatriduo propugnatas innutilitatis nota non ſignari, defendimus.

Vt noſtro huic quatriduano certamini Colophonem imponat harum Theſium, ſicut & antecedentium (quælibet pro potiſsima) propugnator exiſtet

D. THEODORUS BART
& URQUIDE.

OBUM-

OBUMBRATURO CAPITA IN diebus belli *P. F. FERDINANDO VALDERRAMA*, in hoc Franciſcano PORTUS A Sta. MARIA Conventu, ubi Minervale parabitur ſtadium, Artium Lectore, anno 1771.

